tum ſuum ad Civitatem Auſtriæ, ut ſuperius de-

[illegible] (ex bibliotheca Laurentii Antonii de Ponte)

Cod. Vat. Lat.

dominium Venetorum eligerunt multas gentes de patria et armigeros et multi baliestrieri de partibus et de contratis circa Venetias et posuerunt campum ad Triestum per terra et per mare, ubi steterunt per aliquod tempus et multa malla intulerunt super Tergestum et gentes eorum. Tandem facta fuit pax inter dominium Venetorum et Trigestinos (!) propter quod dominus papa Pius eciam faciebat guerram cum dominio Venetorum super dominus de Rimano qui aderebat dominio Venetorum. Tunc tempore dominus Jacobus Marcello locumtenens in patria et provisor in campo per terram et dominus Vitalis Lando provisor in mari in tantum quod habuissent Trigestum, si dominus Jacobus Antonius voluisset, fecisset quod poterat; quia habebat unum filium in Trigestum qui erat banditus de omnibus terris et locus dominii ideo non obtinuerunt Trigestum et inter paucos dies facta fuit pax eciam inter papam et illis de Rimano.

In isto tempore fuit patriarcha dominus Lodovicus de Padua et in Romana curia fuit residentia sua, cui dominium Venetorum dabant sex milia ducatorum et dominium Aquilegen) et Sanctum Danielem et Sanctum Vitum ultra Tayamentum.

Et defuncto dicto domino patriarcha sub papa Paulo secundo qui in se retinuit per aliquod tempus dictum patriarchatum et post factus est patriarcha reverendus dominus Marcus Barbo Venetus morans et romanus tenens que reverendum dominum epischopum Setenensem etiam suum vicarium in patria gubernans oves suas et a lupo defendens.

In 1470 de mense Septembris silicet in die beate Ursule Turchi curerunt per Istriam et ceperunt multas gentes de Cavo d'Istria et de Mugla et de Trigesto et multi de ? Corso aduxerunt in predam in partibus eorum quasi quatuor milia virorum, quia fuit tempore vindemiarum quia multas gentes erant ad coligendam uvam et dicti Turchi venerunt tamquam latrones et fures currentes usque ad Foglanum super aquam Lozoncii et si non fuisset magna profunditas aque Lozoncii, incurrissent in partibus circa Lozoncium et recesserunt cum preda in partibus Bosne ibi comorantes pro maiori parte aut de consensu regis Ungarie aut si quia dictus rex factus est inimicus Cristiane religionis propter peccuniam.